



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Avgvstini Valerii, Veronensis Episcopi, De Rhetorica
Ecclesiastica Libri III. Perqvam Ervditi**

Valiero, Agostino

Coloniae, 1582

Quid sint loci communes. Cap. XXVI.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69050](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69050)

habentq̄, si oppositè in medium afferatur, magnam vim propterea quòd contactam etiam habent eam argumentationem, qua dicitur, à minori ad maius, vt legimus apud Hieremiam: Transite, inquit, ad insulas Cethim, et videte; & in Cedar mittite, & considerate vehementer, & videte, si factum est huiuscemodi, si mutauit gens deos suos, & certè ipsi non sunt dij: populus verò meus mutauit gloriam suam in idolum. Christus saluator noster Reginam Sabe & Nimitas in exemplum adducit, & illud inculcat: Nonne ethnici hoc faciunt? Diuus Paulus vehementer vrget, cum ait: Omnino videtur inter vos fornicatio, & talis fornicatio, qualis non est inter gentes. Sanctus Basilius verò ad fratris filios epistolam scripsit, in qua egregiè locū hunc tractat, quomodo ex gestis gentilium possit quis exempla ad virtutem colligere: in sacris literis exemplis belluarum, & rerum sensus expertium, segniores acriter reprehenduntur. Multum mouet locus ille Esaiæ: Cognouit bos possessorem suū, & asinus praesepem Domini sui; Israel autem me non cognouit, & populus meus non intellexit. Et non minus illud Hieremie: Miluus in caelo cognouit tempus suum, turtur, & hirundo, & ciconia custodierunt tempus aduentūs sui: populus autē meus non cognouit iudicium Domini. In Prouerbijs etiam piger exemplo formica excitatur. Saluator noster auium, & liliorum exemplo, à nimia victūs & vestium cura, & solitudine nos auocat.

Quid sint loci communes.

Cap. XXVI.

PORRO autem cum argumenta, aut ex rerum vī naturaq̄, ducantur, aut sumantur ab ijs, qua videntur

tar extrinseca, quanquam maiorem sæpè vim habeant ad confirmandum: dicamus nos primùm de ijs, quæ à re ipsa sumuntur. A rebus ipsis sumuntur, quæ à definitione, partium enumeratione, etymologia, hoc est, notatiõe verbi, ab ijs præterea, quæ rem quamque contingunt, & ad eam quodam modo sunt affecta: quorum alia coniugata appellantur, alia ex genere, alia ex forma, alia ex similitudine, alia ex dissimilitudine, alia ex contrario, alia ex adiunctis, alia ex antecedentibus; alia ex consequentibus, alia ex repugnantibus, alia ex causis, alia ex effectis, alia ex comparatione maiorum, aut parium, aut minorum: & hi appellantur loci communes, sedes argumentorum, elementa propositionum. Sic autem describuntur loci communes; nota, quarum admonitu, quid quæque res valeat ad persuadendū, possit inueniri: quos locos quam plurimis exemplis illustrare non esset difficile sed non admodum vrile, & ab instituto opere valdè alienum: paucis exemplis, & illis facilimis contenti, quid singulorum natura sit, clericis declaramus.

Locus à Definitione.

Cap. XXVII.

DE FINITIO est, quæ id, quod definitur, explicat quid sit: alio modo, breuis oratio, quæ rei naturam declarat. de qua hoc à dialecticis præcipitur, vt primùm rei proximum genus assumatur, deindè ad id differentia adiungatur, quæ rem à cæteris formis eidem generi subiectis, distinguat & separet: quæ subtilis definendi ratio, in dicendo non sæpè vsu venire solet, potius quæ quid res sit, descriptione quadam explicatur, quæ aliam
in rem